226

O


11

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 O 11



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 O 11


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 O 11



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 O 11



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 O 11



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 O 11

KW 226 O 11

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 O 11

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 O 11

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 O 11

Geog. 487

CORNELII LASTMANNI
è Waterlandia Ranſdorpiani

ORATIO
ΑΠΟΒΑΤΗΡΙΑ,

Schoonhooviæ & Waterlandiæ
Deſcriptionem complectens:

ibidem publicè in Templo Bartholomæi
IV. Non. Febr dicta.

Lerit 26. ti.



KONINKL.
BIBLIOTHEEK
TE'SHAGE.

SCHOONHOOVIÆ.
Typis LEONARDI ab HECK.
M. DC. LIX.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 O 11

Probitate et eruditione conſpicuo viro,

D. ARNOLDO MONTANO

SCHOOHOVIÆ *paſtori fideliſſimo præceptori colendo & plurimum de me merito.*

NEC NON

Ampliſſimis, Doctiſſimis, Graviſſimis viris, Scholarchis venerandis,

D. CORNELIO VERGEERIO

Verbi divini miniſtro vigilantiſſimo, in eccleſia quæ colligitur SCHOONHOVIÆ.

D. CORNELIO VAN NESCH

I. V. D. *Doctiſſimo.*

D. EWALDO PRINCIO,

I. V. D. *Meritiſſimo.*

D. GUILHELMO VERHAAR.

Medicinæ Doctori peritiſſimo.

UT ET

D. IOANNI TRANQUILLIO

Candidato Theologiæ, præceptori Enchuſæ meritiſſimo.

Orationem hanc valedictoriam inſcribit & offert

CORNELIVS LASTMANNVS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 O 11

Oratio Valedictoria

SCHOONHOVIANIS DICTA.

Auditores ornatiſſimi:

SI peregrinus, ultimo alloquio vos affaturus, iſtiuſmodi dolorem ſentiam: ut mihi haud ad meos reverti, ſed à meis ad ignotos abire videar: non dubito, quin ille affectus fidem faciet ſinceri imo admirandi amoris: dum quaſi patriæ oblitus patriam in Auſtrali Hollandiæ parte amplexus ſum: qui longâ origine à Minoribus Friſiis originem duxi. Revera ubi cunas reſpicio & primum aërem, quem infans hauſi, ipſe mutatæ mentis haud capax adſto. Memini quantopere laudi duxerim, ibi & natum et educatum eſſe; ubi, præter ſolitum affectus vinculum, quod naturale ſolum quadâ dulcedine arctiſſimè conſtringit, ipſa inſuper terra multis titulis mihi ſe commendaret. Nec jam tam nobilis patriæ pudere licet, niſi degener alumnus, quo alii ſuperbiunt non immerito, id dedecori ducerem ſatis ſtultè & magis impiè contemnerem.

Mecum vel ad momentum evagamini per depreſſam illam regionem, quæ aggeribus cincta Flevi tempeſtuoſos furores ſecure ridet, iratumque excitatis fluctibus Yam objectâ ceſpitum mole retundit animoſè: ubi orbis Metropolim, cui ab Amſtelâ nomen,

 altiſſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 O 11

altiſſima tollentem in cælum ad horrorem uſque culmina, ex humili ſitu intrepida reſpicit. Waterlandiam deſigno. Certe ſi antiquitatem excutias, vix alibi magis liberam gentem, pluribus ſuccinctam trophæis, majoribus præconiis celebratam invenias. Libet, ut generaliores terminos agnoſcas, verba Principis Hiſtoricorum Taciti apponere: *Majoribus Minoribuſquè Friſiis vocabulum eſt, ex modo virium, utræque nationes uſque ad Oceanum Rheno prætexuntur; ambiuntque immenſos inſuper lacus, & Romanis claſſibus navigatos*, Potentiſſima gens vaſti amplique imperii olim domina: & id poſterioribus ſæculis non modo non diminutū, ſed & auctum. Conſtat ex patriis Friſiorum annalibus & multorum exterorum conſenſu, ſub Regibus Principibuſque ſuis Zeelandiæ, Brabantiæ Flandriæque oras coloniis impleviſſe; & Gelrorum, Veſtofaliæ ac Saxoniæ partem magnam tenuiſſe, & per præfectos adminiſtraſſe. Imo iidem haud exiguâ manu ducibus Hengiſto & Horſâ Britanniam aggreſſi occuparunt: Anglos enim inde originem trahere præter veterum indubitata teſtimonia, hodieque linguæ arctiſſima convenientia cum idiomate Friſiorū ſatis ſuperque evincit. Nec eſt quod ringantur Batavi, aliàs bellicâ laude decantatiſſimi; ipſos rejectâ appellatione vel potius in exiguâ modo inſulæ parte corruptè ſervatâ, ſi non leges & jura, ſaltem Friſiorum nomen admodum plauſibile (à libertate id Celtarum linguâ derivatum) aſſumſiſſe. At ego impetum meum ſufflamino, & Vechtâ amne Rhenôque (quà Vechtam effundit, & ſalutato Ultrajecto, Woerdâ & Batavorum Lugdunô, olim aquas Oceano miſcebat) ipſoque Oceano & Flevo Minores meos Friſios concludo: imo pro majoribus ſolum veneror; ubi iidem lacubus ubique ſecti Yâ Flevoque alluuntur.

Cccu-

Occurrit hic Perſinorum inſigne ſtemma; cujus origo, ſi annalibus fides, in Græciam refertur. Perſini quippe cum Luitgardâ Comitis Hollandiæ Arnulphi uxore Conſtantinopolitani cæſaris filiâ inHollandiam perveniſſe creduntur: quod ut non plane rejiciendum, ita certiori, imo indubitatâ fide eorundem heröica facinora à rerum Belgicarum hiſtoriographis fuſè ebuccinantur, tempore Comitum Hollandiæ; quibus egregiam ſæpenumero operam navarunt. Non eſt animus cum Perſinorum genealogiâ æternæ memoriæ conſecrata geſta enumerare: duos modo ex iiſdem Ioannes producam, patrem filiumque: quorum ille acerimâ iſtâ ſeditione Kennemariorum, non tantùm aſylum nobilitatis fugatæ, ſed & libertatis aſſertor protervorumque hoſtium fugator: nam ex obſeſſâ urbe Harlemo erumpens, ferrô flammâque obſidentium terras depopulatus, ad ſua eos reverti coëgit: poſtquam ubique victores, poſt varia crudelitatis veſtigia ibi demum repreſſi & magnâ clade contuſi eſſent. Hic autem, nempe Filius, ſæculo decimo tertio, cum Ioanne Hannonio Flandros aggreſſus in Zeelandia, editis admirandæ fortitudinis ſpeciminibus, pugnans acerrimè occubuit. Sed ut eunt res mortalium: non modo Heröum genealogiæ in poſteris vilem ſobolem ex degeneri traduce numerant: ſed & deficientibus natis emoriuntur. In Nicolao equidem tam illuſtris familiæ ſplendor anno nono ævi quarti & decimi plane occidit: is enim unicum Perſinorum ſuperſtes columen obiit abſque prole.

Verùm ego longius provehor, qùam par eſt. Quorſum nobiles Manes inquietantur? Quorſum jam ante duo ſæcula, & quod excedit, totâ radice evulſum ſtemma ad Superos revocatur? Imo ſuperbimus quidem poſteri iſtâ gloriâ tam illuſtrium Maiorum: qui-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 O 11

bus olim jure meritiſſimo patriæ faſces concrediti. At jucundius præſentibus immorari. Lubet per Waterlandiam hodiernam ire: & nuperarum voluptatum titillatione memoriam refricare. Ibi ego te, Ranſdorpia mea, ſaluto, nobili turre antiquiſſimi & quadrati operis, & in cælum minante, etiam ſine acuminato vertice, celebrata: & illuſtriori templo conſpicua, niſi id Hiſpanici furoris fædas cicatrices in ultimâ ſui parte miſerè oſtenderet. Tu aquæ ductibus ſecta, tu pontibus conſtrata, tu viâ ex lapide coctili accommoda, tu incolarum ditium & humanorum copiâ beata, tu familiæ & generis noſtri mater, facile inter pagos familiam ducis. Tibi in conventu prima ſuffragia. Tibi Waterlandica urbs Monachodamum antiquitate cedit. Tibi vicini omnes æquiſſimâ lege primas deferunt. Tibi Holiſloota, Sindeldorpia, Broeca, Dorigerdamum, Neodamum, Buceſloota, Suurwouda & Schellingwouda in ambitu proximo aſſurgunt. Hujus autem obliviſci piaculum: ubi ſtudiorum tyrocinia depoſita. Lætabundus memini ad Yam excurſus: etiam cùm ventis agitatus iratos fluctus in objectas aggerum moles innoxiè detruderet. Quoties conſperſus notis undis Flevum ſalutavi: ubi paluſtribus vadis, inſpectante Mudæ arce, Florentii Hollandiæ Comitis vinculis, hodieque tam longâ vetuſtate haud abſumtis, nobilitatâ, cænoſas aquas fracto furore illidit. Quoties ſereno cælo audire licuit amnem leniter ſuſurrantẽ, & juncis et arundinibus interſtrepentem: cùm ex omnibus mundi partibus peregrinæ naves, et Batavæ, poſt longa maris diſcrimina, variis onuſtæ mercibus, ad orbis Metropolim navigarent: et exploſis in lætitiæ indicium tormentis cælum eriperent oculis nitrato fumo. Memini diem latuiſſe mediâ die: ut gratâ tenebrarum viciſſitudine jucundius redderetur

retur

retur ſimul cum puppibus ; quæ evanuiſſe creditæ quaſi præſtigio quopiam, uſque dum fumus evaneſceret. Quoties fluctuum notavi diſcrimen: ubi obliquè à Schellingwoudâ (vel levius ſtrepente aurâ, marino imbre gratâ madefactione adſperſâ) abyſſus quæpiam abſcondens depreſſas olim rates, juſſu Snooy, onere veteris Schellingwoudanorum templi, (ad ejus formam hodieque Nicolai ædes in urbe Amſtelodamenſi condita exſtat) altiores erigit fluctus. cum ad brevia & minus profundos alveos furores: aquarum frænentur. Quoties oculos in continentem dejeci, recreatos tot pagorum connexo ſitu: ut non quindecim pagos parvo terræ ſpatio concluſos; ſed continuam urbem, ingentem ambitum pro urbis ſpatio complectentem, ſuaviter me ipſum, inſtar peregrini & ignoti, deludens, videre autumarem.

Si vero memoriæ recollectioni indulgere aveo: labyrinthos voluptatum iſto numero inveniam : ut ne ex uno pedem retrahere detur. Vale ergo patria: Vale Pater Ya. Ad te urbium ocelle Schoonhovia, ad te, regnator fluviorum Lecca, mea ſe convertit oratio. Fuit illud tempus, quo mæstus huc direxi proram;inter meorum ſuſpiria et triſtes amplexus dimiſſus. Et ne quiſquam amorem in eoſdem cum patriâ mutaſſe me credat: minime, *Vix illud potui dicere triſte vale*.Imo, *Cum repeto noctem, qua tot mihi chara reliqui, Labitur ex oculis tunc quoque gutta meis*. Et nihilominus parvæ conſuetudinis cauſa, reſpectu exigui temporis, licet exigui temporis arctiſſimo vinculo me conſtringi admirer, renovatum, quid dicam renovatum ? imo auctum ex novo diſceſſu novum dolorem ſentiam. Credideram pectus jam non rude futurum ad iſtiuſmodi mala ſufferenda : utpote qui valedicens patriæ ipſâ nunc experientiâ eſſem edoc-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 O 11

tus. Præcipuè cùm in eandem tacito ductu Natura omnibus omnino hominibus affectum, haud facile exuendum, ingeneraverit. Veritas invito extorquet propemodum liberas has voces, quas ab amore & odio omni liber, in ſinum tuum depono, o Schoonhoovia! Vbi mihi tam inſignis patria, tam ſuſpiciendi majores, tam arctæ neceſſitates; nihilominus ego deliciis Caninefatum ineſcatus, Leccæ fluentis abreptus, arbuſtis & arborum opacis umbris detentus; civium Schoonhoovianorum humanitate humanitatem edoctus, abripior, auferor, abſtrahor, divellor hinc: &, niſi me fallat animus, haud alibi, ubicunque venturus, eam ſitus amænitatem, incolarum benignitatem inventurus. Cogor ſtudiorum causa, (quis enim neſcit quàm imperioſa juris deæ Themidi juris-dictio, quàm abſoluta & irreſiſtibilia Sapientiæ ſint edicta?) ad majora ſubſellia Muſas tranſferre: ubi ubi dicatas ſedes publicâ authoritate inter frequentes alumnorum confluxus ex omni orbis parte venerandæ incolunt. Utinam haud cæcutirent iſthâc parte aut ſtudiorum patroni, aut eruditionis myſtæ, alibi ſupra modum perſpicaces, aut etiam (venia ſit libere ſatis loquenti) ipſæ Camænæ. Cur enim à vaſtato Helicone Franequeram quampiam aut Hardervicum, (ne Groningam, Ultrajectum aut ipſum Batavorum Lugdunum ſubjungam) ſedes reverendas tranſferunt? Oportet in Græciâ educatas Divas, (ubi primùm Belgarum ſuſpiciendo nomine excitatæ, patriam, à barbarie fugatæ, deſeruêre, poſt tot annorum fidam habitationem) & in hanc oram delatas, more advenarum, primâ arridente regionis facie captas, abſque accuratiori delectu ad obturatum Rheni oſtium Leidæ, ad ejuſdem languidum & emortuum flumen Trajecti, ad tempeſtuoſam Lavicam Groningæ, ad Syrtes immites Flevi Hardervici conſediſſe

diſſe. Dabis mihi hoc, dignius Muſarum habitaculum, magis accommoda ſtudiorum ſedes, Schoonhoovia: ſi te tibi ob oculos ponam, & quaſi maximum Regem in exiguâ imagine exprimens ſculptor, aut arctâ tabellâ totum terrarum ambitum delineans Coſmographus, eôdem pede antiquitatem venerandam, majeſtatem rebus geſtis illuſtrem, amœnitatem ſitu jucundiſſimo pergratam, ſplendorem ædificiorum tam publicorum qùam privatorum, pro urbis formâ, excellentem, civium honeſtorum laudatos mores paucis pagellis compendio, licet haud abſque impendio, in medium proferam.

Revolventi itaque mihi Veterum annales occurrit alto ſitu oppreſſa antiquitas: quæ iſtiuſmodi tenebras quaſi ex profeſſo diffundit: ut cunas reverendæ urbis ad majorem reverentiam opprimere videatur. Unum ſcitur, nempe jam anno octuageſimo ſeptimo ævi à Chriſto nato ſeptimi, Schoonhoviam illuſtri famâ orbi innotuiſſe. Et procul dubio natales chartis & archivis concrediti, hodie haud in abſcondito laterent, niſi abhinc tria ſæcula & quod excedit, ac ſecundâ vice anno decimo octavo ævi proxime præteriti oppidum Vulcano conſecratum, omnibus ad unum exuſtis ædificiis, memoriam ſui in cineribus & favillis infæliciter amiſiſſet. Conjicere licet probabiliter, urbem nulli Batavorum vetuſtate cedere. Et certè falſo rudera ſua jactat vicinum Neoportum; quaſi ex iiſdem alta extuliſſet culmina. Cùm è contrario Schoonhoovia tutos receptus, ſæviente bello Flandrico, quod acerrimis animis ab Hollandis eſt geſtum circa ſæculum decimum tertium, proximè oppoſitæ urbi conceſſerit.

Quandoquidem ergo longâ retro annorum ſerie, defectu hiſtoriarum & archivorum, origo ipſa Schoonhooviæ deficit: nolumus cum audaculis re-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 O 11

rum incertarum aſſertoribus, conjecturas ſuas & ſomnia pro ipſâ veritate obtrudentibus, digitum in urbis cunas dirigere: quandoquidem illas obtexerit vetuſtas alta. Satius eſt ex magno cumulo iſtiuſmodi ſeligere, quæ fide digni Scriptores, tam ſitu longo dierum exeſis chartis quam nuperis & undequaque collectis, ſummâ curâ in medium proferunt.

Poſtquam Hollandia, poſt Regulorum aliquot infælix & ſciſſum imperium, ex ſuo corpore, & non Aquitaniâ quâpiam, ut vulgi errores habent, Theodoricũ Comitem ſibi ſuffeciſſet: & lapſu temporum, deficientibus ſucceſſoribus (ita non tantũ in ſingularibus perſonis interit indies orbis; ſed & ipſæ genealogiæ, novâ poſteritate identidem ad privata damna reſarcienda & communem immortalitatem ſuffultæ, quandoque tamen planè emoriuntur) ad Hannonios devoluta. Inter eos Ioannes ſecundus filio cognomini & minori Goudam, Schoonhooviam & Tolam cum ſubjectis territoriis aſſignavit. Hic autem duodecimo anno ſæculi decimi tertii arcem urbi noſtræ annexam, at vetuſtate collapſam, illo animo magnificentiſſimè reparavit: ut nempe ſedem aulæ & perpetuæ manſionis, procul dubio jam tum ſurgentis oppidi ſplendore & ſitu amæniſſimo, repudiatâ Goudâ, illectus, eligeret hic ſibi. Hæres filia unica Ludovico Beaumontio Comiti Bleſenſi ſive Bloſio nupta (ab eo hodieque ager omnis Schoonhoviæ, verſus occidentem præcipuè longè lateque ſubjectus nomen Bloſienſe mutuatus eſt) trium filiorum mater exſtitit: ad quos ordine devoluta Schoonhoovia, tandem in tertio Guidone inproli cum duobus fratribus, itidem abſque liberis fato functis, imperium iſtius ſtemmatis deficere vidit. Ab anno itaque nonageſimo ſeptimo decimi tertii ſæculi Hollandiæ Comitatui inſerta, tam fidam operam legitimis dominis præſtitit: ut jure

jure meritiſſimo ab iiſdem ditata ſit privilegiis neutiquam contemnendis. Non mihi animus inter veterum chartarum pulverem morari, & in curiæ arcanis penetralibus diplomatum reconditorum ſitum antiquariâ manu diſcutere. Sufficit ſi te beatam tot immunitatibus, tot Comitum Principumque conceſſis largiter muneribus ipſa agnoſcas, ipſa illis gaudeas, Schoonhoovia. Hic tamen tecum lætabundus effundor in juſtas querelas. Imo Manes tuos teſtor, Ioannes Bloſie Gelriæ dux, & te Machthildi thalami huius ſocia. Nunquid meruerunt Schoonhoivani cives, ut veſtrâ indulgentiâ Gelriæ Zutphaniæque fluenta à vectigalibus exemti ubique peragrarent? Et quorſum adeo iniquè refragatur Arenacum, eripiens Schoonhoviæ tam inſigne privilegium? Videat illud quo jure. Præcipue quum hodieque illâ immunitate, eodem tempore impetratâ, Bommeliani gaudeant: & ævum, annus, menſis, dies hujus conceſſionis fideliter annotata exſtent. Inſpiciat archiva Arenacum, niſi condere & perdere mavult, quam prodeſſe, quibus ex conſcientiâ teneretur: inveniet VI. idus Martii, anno ſeptuageſimo ſecundo ſæculi tertii & decimi, notabiles illuſtri iſthoc dono.

At quid ego finitimos & ſocios laceſſo? Bellorum proximorum rabies, quâ omnia conturbata, etiam hic urbi noſtræ nocuit. Tum enim, ſæviente immaniſſimo duce Albano, ordo rerum inverſus, ſacra prophanata, immunitates attritæ, privilegia conculcata, carnificinæ ubique nobilium & cujuſcunque ſanguine horrendæ. Imo haud facile excidet Schoonhooviæ illud tempus, quo Requeſenius iniquas pacis conditiones Arauſionenſi offerens, (nempe ut vel veram religionem arreptâ Pontificiâ vel patriam Belgæ deſererent) ſubdolè cum vicino oppido Veteraquis Hiſpano milite ipſam occupavit. At quid ego nupe-

nuperis his immorar: cum hodie ſuperſint, qui Heſperiæ effugerunt ſicas, & contractâ fronte memoriâ præteritorum ſcelerum etiamnnm horreant. Multo minus dolorem renovo noviſſimum, quem non ita pridem abhinc quadraginta annos ſenſiſti, miſerrima tum Schoonhoovia. Amplecteris etiamnum Borræorum, Paludanorum Timmermannorumque, fidelium Chriſti ſervorum, ſacroſancta tibi nomina. Horres etiamnum Wittium, non modo in Albinianis caſtris deluſâ perfidè Odomi præceptoris filiâ ubique infamem, ſed et pluſquam Arminianiſmi hæreticum doctorem, & à veritate, jam tot majorum ſanguine ſtabilitâ, ſeductorem. O quanti labores exantlandi! Superſunt acuminatæ clavæ, ad ictus in illos deſtinatæ, qui Bartholomæi æde depulſi, ubi hactenus Euangelii ſana doctrina exhibita, jam animæ curam corpori præponentes, per ludibria & ſubſannationes, per cænoſas vias, cæno miſerè ab inſolentibus ad portas adſperſi, in pagum Ammerſium, cui Magni prænomẽ, confluebant: & poſtmodo in ſuburbana tuguriola, ex neceſſitate cultui Dei vero dicata; ſed à bajulis diruta, neque gratis: utpote queis ligna ad luculentum ignem religioſo iſti fundo superinſtructum conceſſa cum largiore potus menſurâ; quam ut pedes manuſque officium facerent, poſt tam egregium facinus triumphabundi domum reduces. At cur eccleſiaſtici ſchiſmatis cicatrices, jam obductæ propemodum, Deo gratias, revelluntur? Nec Hiſpanicæ rabiëi, nec Remonſtrantium amiſſa eſt memoria. Satius vetera repetere, & quæ Schoonhooviæ fortaſſe exciderunt temporum lapſu Schoonhoviæ oſtendere, excuſſo veteri ſæculorum pulvere.

Ac primò quidem occurrunt Caninefates: *Ea gens* (ut verba à Tacito mutuo ſumam) *partem inſulæ Batavorum colit: origine, linguâ, virtute, par Batavis,* *numero*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 O 11

numero ſuperantur. Si Geographi munia obirem, facile eſſet monſtrare illos id ſolum occupaſſe quondam, ubi hodie Gouda, Woerda, Veteraquæ, Iſſelſteinium, Ultrajectum, Viana, Culenburgum, & tu quæ merito primum merebaris locum, Schoonhovia, conſpiciuntur. Equidem à tam maſculorum majorum ſerie haud degener declinaſti. Quando annales pecurro, quanta occurrit gloria heröicis factis ſupra modum effulgens! Agant hic pro me Hiſtorici: qui ex profeſſo à cunis ipſis urbis ſitum, opera ſtupenda & laude digniſſima acta produnt. Ibi ibi lauros immarceſcibiles, ibi nullo ævo interitura nomina invenias. Non excerperem è grandi cumulo aliquid, quod magnificè exorſum, magnificentius promotum, magnificentiſſimè ad umbilicum deductum, famæ urbis egregiè inſervit: niſi ipſa Curiæ tam inſigni opere fundatrix murorumque urbem ambientium, ad ſuam tutelam, Iacoba nobilitata indignis miſeriis Principiſſa (ea poſt Comites aliquot Bloiſienſes, ut & Guilielmum Sextum Bavarum fixas hic habuit ſedes) aurem vellicaret. Cùm maxima Hollandiæ pars perfidè ſatis Iacobam legitimam dominam repudians Duci Brabantiæ Ioanni faſces obtuliſſet: Schoonhoovia arce, quam Albertus Beylingius inſidebat, divexata, ſumptis animis & armis invadit, Florentii Kyſhoekii ductu, & Iacobæ grandem navat operam. Præſidiariis omnibus ex pacto incolumitas conceſſa, excepto duce Beylingio, ob nefarium quoddam facinus. Hic autem quamquam iſthôc nomine male audiat, nihilominus ipſâ morte laudem meruit: nam ex vinculis dimiſſus ſub fide juramenti, ut exacto menſe, procuratis negotiis, victoribus ſe ſiſteret, maſculâ & laudabili mente eſt reverſus, ne Batavis decantatus Romanis deeſſet Regulus. Equidem, ſi fidem ſpectes, meliori

liori fato dignus : quam ut nocturnis exſequiis in munimento Cæſario ad arcis introitum vivus ſepeliretur. At jam, incitante Iacobo Gaeſbeecio, tota Hollandia pro Brabanto induerat arma, in unam Schoonhooviam rabiem effuſura. Sex menſes urbs oppugnatur, tantâ ſtrage obſidentium; ut veriti tandem receptui canere, ope Ducis Cliviæ & Meurſiæ Comitis ſex hebdomadarum inducias impetrarunt: ne funeſta eſſet fuga. Memorabile eſt, quod durante obſidione Schoonhooviani per hoſtes effuſi Rotterodamenſes inſigni prælio navali ſuperant; urbis Rotterodami vexillo & captivorum magno numero lætabundi reduces. Neque ſub finem ſæculi decimi quarti Ioanni Naeltviceno melius ſucceſſit, magna carinarum parte mulctato, & animoſè cum Hoexiis mille in ipſis obſidii primordiis rejecto.

At ego jam magis magiſque ad hæc aliaque illuſtria facinora adſto perterritus, Schoonhovia. Imo cum te maximis Belgicæ comitiis inter deſcriptos ordines Bruxellæ intereſſe venerabundam conſpicio, lumine nempe in proximè antecedentia ſæcula detorto: hodieque etiam curam communis patriæ Hagæ Comitis, raro oppidis conceſſo jure, ſuſtinere: pedem retraho, impar tantam majeſtatem ferendi. Ignoſce, ſi liberius ſum affatus. Ignoſce, ſi minora meritis attuli. Ignoſce, ſi magis voluntatem, qùam vires expreſſerim, dum te exiguis his exprimere chartis ſtuduerim. Gratiæ apponetur, ſi poſtremâ vice urbem & vicinos urbi agros feſtinante pede liceat peragrare. Ite mecum auditores. hic animoſo agmine Pater fluviorum Lecca & claſſes navium vehit, & delicatiſſimos ſalmones alit, & mænia tundit, & per cataractas aliquot in aquæductus amæniſſimos immittitur, & lenibus quandoque ſuſurris operantem Muſis refocillat. Ibi geminæ

undas

das ſalutant portæ, viaſque ſplendidis ædificiis
abiles ad peregrinorum admirationem aperiunt.
tectorum nitor arborum opacis comis quidem
nbratur, dum civium inſignis humanitas ubique
eſcit. Ad lævam deflectite, fora invenietis mer-
acervis omnigenarum referta, & librâ & cu-
turri artificioſâ & delectabili campanarum mo-
amine, ſuſpicienda. Ad dextram contendite,
vias hinc & hinc ſectas, occurrit ſtupendum o-
, Bartholomæo dicatum templum, nuper mag-
ſumtu, majore ingenio ad invidiam uſque refe-
um: quod altiſſimo culmine in cælum minatur. Et
ut pietatem eruditioni ſociam agnoſcat quis: proxi-
mum eſt Deo dicatæ ſedi florentiſſimum Gymnaſium:
cujus incrementa indies ſperantur. Recto itinere
tertia porta eminet, cui quarta remotiori ſpatio ver-
ſus orientem adjacet. Nolim vos monaſteriorum
ruderibus detineri. Nolim vos inter gemitus Noſo-
comii, inter turbas puerorum puellarumque Or-
phanotrophio, inter ſcreatus ſenum & vetularum Ge-
rontocomiis, inter peſte infectos aut leprâ ædificiis,
ut ut ſplendidiſſimis, immorari. Potius liberiori aëre
expoſita pomaria, potius itinera multâ arborum ſe-
rie jucundiſſima pervagamini: & quæ ad celeberri-
mas Lieſveldiæ aut Langeraceiæ arces, Baronatus
titulo inſignes, & quæ juxta Vliſtam, commodiorem
Schoonhoviæ amnem, niſi Majorum vitio exitus in
Iſalam eſſet obturatus, & quæ inter paſcua fæcun-
da, arboreta, arundineta & aquagia verſus proxi-
mam Willigam, aut Stolcam, aut Goudam, aut
Polſbroecam excurrunt: ubi mihi toties in umbra li-
cuit deliteſcere, & feſtivâ ſolitudine ſolitudinem a-
mantes Muſas provocare: præcipuè cùm veſtigia ibi-
dem deprehenderem magni Chriſtophori Longolii
Schoonhoviâ Caninefatis. Verùm jam me tot de-
liciarum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 O 11

liciarum varietate ineſcatum, tot jucundis viis d
vium deprehendo: nol'em reduci, niſi cogere
Avellor invitus, non diſcedo liberè. Et quid ſ
perſunt, quam vota; quibus te jam jam diſceſſu
alloquar, o Schoonhoovia? Faxit ergo Summu
rum Arbiter, cujus nutu urbes florent: ut fælicta
partam tuearis, acquirendam conſequaris, co
quutâ amplificeris, amplificatâ illuſtreris, illuſt
æternum beeris.

DIXI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 O 11

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 O 11

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 O 11

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 O 11